DE TABULA RICCARDIANA EBOREA CERTAMEN SANCTORUM...

Giovanni Battista Passeri

DE TABULA
RICCARDIANA
EBOREA
CERTAMEN
SANCTORUM QUADRAGINTA
MARTYRUM
REFERENTE

AD NOBILISSIMUM DOCTISSIMUMQUE VIRUM

GABRIELEM MARCHIONEM RICCARDIUM

S. FLORENTINAE ECCLESIAE CANONICUM
SUBDECANUM

IOANNIS BAPTISTAE PASSERI

EPISTOLA



872

FLORENTIAE, MDCCLX.
Ex Typographia Caietani Albizzini, ſub Signo Solis.
Superiorum adprobatione.

DE TABVLA RICCARDIANA EBOREA CERTAMEN SS. QVADRAGINTA MARTYRVM REFERENTE

I OCcurris opportune ſollicitudini meae, RICCARDI PRAESVL AMPLISSIME, qua vehementer timebam, & adhuc timeo, ne, quum iſta haec collectio monumentorum eboreorum in lucem prodiſſet, multa id genus, quae etiam latent, ſeſe praetermiſſa condolerent: occurris, inquam, elegantiſſimo anaglypho e tuo penu delineato, quod quum longe elegantius pro univerſa, qua polles doctrina, inluſtrare potuiſſes, mihi id muneris demandaſti. Delato honori non defui, ac biduanis

Digitized by Google

curis, feſtinante Typographo, explicatum, veluti coronam operi iam conſummato, adponi curavi; unde TIBI, Familiaeque TVAE inprimis clariſſimae, atque huic volumini incrementum decoris adcedat.

II In hac Tabula, & mole eboris omnium ampliſſimi, & maximo ſculpturae artificio inter primas referenda, occurrunt nobis ΟΙ. ΑΓΙΟΙ. ΤΕΣΣΑΡΑΚΟΝΤΑ. *Sancti Quadraginta*, quorum certamen nulli Scriptorum Eccleſiaſticorum non celebrarunt, in primis vero magnus *Baſilius*, *Gregorius Nyſſenus*, *ac Gaudentius Brixienſis* elegantiſſimis orationibus laudarunt, quarum poſtremam in maxima Bibliotheca veterum Patrum recenſiram habemus. Vnicum vero omnium Chriſti militum votum, atque unica actio, quam omnes exprimunt, eſt conſtantia in paſſione, quae frigoris ope inſerebatur. Quid unquam ſtupidius effingere ſculptura coacta eſt? Nihilominus artifex unicam paſſionem tanta in omnibus varietate ſignificavit, ut putem vix fieri poſſe, ut omnium ſeculorum induſtria, quidpiam ingenioſius proferre valeat.

III. Qualis vero fuerit huius Tabellae uſus inquirere abs re non erit, quin, & primam id in antiquitate explicanda petendum puto. Conſuevere medio aevo fideles, & praeſertim Antiſtites ſacrorum librorum extimas tabulas argenteis laminis operire, inter quas aſſetculos eboreos inſerebant, adfabre ſculptos, quod namque in *Euchologio Eugubino* in principio huius voluminis deſcripto adnotavimus. In id officium Tabellam hanc deputatam iudico, ut pene credam comparem habuiſſe, quae vel periit, vel latet. Quid ni? Terna claviculorum

lorum foramina, indicio ſunt id parergon rudiori Tabulae adhaeſiſſe, addito limbo pretioſiore. Ceterum in hoc laterculo nulli cardines ſunt, nulli verticilli, quorum teſtimonio illum inter vera Diptycha referamus. Laxiore tamen ſenſu Tabellae omnes, quae librorum operimenta adornabant, Diptychae nuncupari poſſunt, quanquam lignum interpoſitum haberent, nam Diptychorum inſtitutum ad libros adinventum eſt.

IV. In ſumma Tabulae parte ſedet Redemptor Orbis, incluſus in circulo, quo caeli ambitus deſignatur. Adpoſitae ſiglae ΙϹΧΨ facile diſſolvuntur in IC. X. Ieſu Chriſti nomen: poſtrema Ψ in hiſce lemmatibus inuſitata, vocis alicuius initium deſignat, puta ΨΥΧΗ *Vita*, nam ſaepe hoc nomine Chriſtus Dominus ſeſe nuncupavit *Ego ſum via, veritas, & vita*, quae nuncupatio aptiſſima erat ad martyres conſolandos, qui vitam mortalem prodigebant pro adſequenda immortali.

V. Angeli Martyrum cuſtodes proſtrati ante thronum Dei, manus velo involutas portendunt, pro alumnis ſuis deprecantes, & vacuo ſinu aliquid exſpectantes, veluti coronas athletis conſtantiſſimis deferendas, de quo infra.

VI. In imo palus expreſſa eſt, quae gelu conſtricta nudos martyres exercet, cui pilis inpoſitum imminet Balneum, porticibus, & teſtudine ſumtuoſa conſpicuum. Ibi aquae calidae paratae erant, ad quas confugere invitabantur Martyres, ſi quando frigoris inpatientes Chriſto renunciaſſent. At ſculptor ingenioſiſſimus, ut oſtenderet inanem fuiſſe Ethnicorum induſtriam, atque verſutiam, bal-

nei

Digitized by Google

nei oſtium clauſum fecit, non enim niſi unus, qui defecit e fide, ad illud confugit, cui divina bonitas Balneatorem ſubſtituit, de quo *Baſilius*, atque *Nyſſenus*.

VII Horum teſtimonio intelligimus heroas noſtros natione Cappadoces fuiſſe, quae regio innumeros Chriſto martyres dedit; quos inter ſilentio non praeteream *Fidentium*, atque *Terentium*, qui Romam adeuntes, in Vico Martis apud Tudertium Chriſtianae fidei adcuſati, teſtimonium Chriſti, ſanguine confirmarunt, ſupra quorum tumulum exſtructam antiquiſſimam Eccleſiam nunc pene deſertam ſaepe ego inviſere ſolebam, quum vicino Maſſae Oppido praeeſſem, & antiqua monumenta, quae multa circum ſunt, adoleſcens diligenter perſcrutarer.

VIII Eorum, qui in hac tabula ſculpti ſunt inſtitutum militia fuit ſub *Licynio*, in qua virtute, & robore animi maxime claruerunt, quin etiam, & miraculis, quum enim adverſus barbaros in Armeniam, quam tuebantur, irruentes dimicarent, impetrata precibus pluvia, Romanam aciem ſiti laborantem confortarunt, & verſa in hoſtes tempeſtate contra illos victoriam reportarunt. Sed quum pro re bene geſta Diis ſacrificare cum ceteris iuberentur, deteſtati facinus, morti deputati ſunt. Fuit vero atrociſſima, nam nudi ſub dira hyeme in ſtagnum frigore conſtrictum, *ut accolis ſecuram ſuper dorſum viam exhiberet*, ut ait *Baſilius*, proiecti ſunt. Addit *Nyſſenus* expectatam noctem aquilonaribus ventis praeter modum immitiſſimam adveniſſe, ut pene in gelu converſi martyres, eorumque membra ad omnem motum diſrumperentur, atque deciderent. *Baſilius permanſiſſe* iuſſos tradit, at *Nyſſenus* per *triduum* dilatam mortem teſtatus eſt.

IX.

Digitized by Google

IX. Interim balnei cuſtos, qui rei exitum ſpeculabatur, *conſpexit Virtutes quaſdam ex caelis deſcendentes, & velut de Rege munera magna militibus diſtribuentes, quae reliquis quidem omnibus dona diſtribuebant, unum vero ſolum innumeratum dimiſerunt, indignum iudicantes caeleſtibus honoribus*, verba *Baſilii*. Suſtulit vero admirationem illius inconſtantia, dum ſubito in tepidarium deſiluit, cuius locum protipuit Balnearor, proclamans ſe quoque Chriſtianum.

X. At grandius ſpectaculum exhibuit mater adoleſcentis, quae adhuc ſpirantem poſthabitum videns in ſtagno, dum ceterorum defunctorum corpora cremanda in carpentum inicerentur, filium generoſe ſublatum ceteris adiecit, ut coronam cum ſociis capeſſeret, quod egregie factum mirificis laudibus Patres citati concelebrant.

XI. Ut vero omnium corpora rogo conſumta ſunt cinis in profluentem diſperſus eſt. Sed oſſiculi a fidelibus conlecti, ac diligenter ſervati, Conſtantinopolim ex parte, ex alia vero Caeſaream Cappadociae delati ſunt. De priorum inventione ſub *Pulcheria* Auguſta mentio plurima eſt apud *Nicephorum* Lib. IV. Cap. 10. Reliquiae vero, quae Caeſareae ſervabantur a S. *Baſilii* Nepte divinitus admonita D. *Gaudentio* Brixienſi Epiſcopo, tunc in ea Regione peregrinanti, conceſſae ſunt, in Italiam deferendae, quas ille poſtmodum luculenta oratione ad populum habita, quam ſupra laudavimus exornavit, ac Civitati ſuae recolendas commendavit. Tibi igitur gratulor, RICCARDI NOBILISSIME, quod tam eleganti monumento nuper prodito, ſermonem de glorioſiſſimis martyribus excitaſti, ut in hac conlectione, in qua de plurimis coaequalibus mentio eſt, inlaudati non abirent. Dabam Piſauri ex Muſeo, Tertio Eidus Octobris MDCCLIX.

XII.

XII. Ne extrema haec pagina ornamento careat, ſculpturam buxeam, DD *Gregorium*, *Io. Chryſoſtomum*, ac *Baſilium* exhibentem ex locupletiſſimo ampliſſimi atque eruditiſſimi Viri *Gabrielis Riccardi* Florentini Subdecani Muſeo proferendam cenſuimus.

F I N I S.



ANAGLYPHVM BVXEVM EX MVSEO
GABRIEL. RICCARDI PATRICI MARCHIONIS
ET SVBDECANI FLORENTINI

Digitized by Google

XII. Ne extrema haec pagina ornamento careat, ſculpturam buxeam, DD *Gregorium*, *Io. Chryſoſtomum*, ac *Baſilium* exhibentem ex locupletiſſimo ampliſſimi atque eruditiſſimi Viri *Gabrielis Riccardi* Florentini Subdecani Muſeo proferendam cenſuimus.

F I N I S.

99 240612



ANAGLYPHVM BVXEVM EX MVSEO
GABRIEL. RICCARDI PATRICI MARCHIONIS
ET SVBDECANI FLORENTINI